

investigandam definitionem præclara via est visa, quam in libro *de Arte Poëtarum* Aristoteles indicavit, ut ab Imitatione, tanquam a vero, ut poëseos, sic dialogi genere profecti, ad ultimas ejus, & maxime proprias differentias transeamus. Ille enim cum ad singulas poëseos partes definitione aperiendas fundamenta jaceret, universum earum genus Imitationem, generis autem ejus differentias tripartitas constituit, a rebus, ab instrumentis, a modis. Res, quas poëtæ imitando simularent, aut graviorum, aut leviorum hominum, aut qui his interjecti, actiones esse invenit; Instrumenta, quæ ad imitandum afferrent, orationem esse, concentum, & rhythmum; Modos ineundæ imitationis, cum iidem aut perpetua uterentur narratione, aut quasi agentes inducerent, aut utrumque. Itaque cum deinceps ad tractationem tragœdiæ descendisset, ex his principiis tragœdiam imitationem esse collegit earum actionum, quæ a gravibus hominibus susciperentur versu, concentu, rhythmoque, ac sola personarum inductione imitam. Cujus definitionis, concludit tandem Sigonius, quid est cur nos non vestigia persequamur, & si genus dialogi quæritur, id *Imitationem* esse statuamus? Verum nos existimamus aliter definiri Dialogum in genere, cujusmodi ex Laërtio jam adducta descriptio est, & rursus aliter, quatenus ille fabulam continet & facti repræsentationem, actumque comœdiarum vel tragœdiarum. Nemo enim omnem dialogum, Comicorum fabulam dixerit.

*Nostra sententia.*

§. II,